Postremus Honor,

qvem

PERBEATIS MANIBUS

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI atqve CLARISSIMI

VIRI,

DN. DANIELIS BLANCKII,

Philos. & Medicinæ Doctoris eximii,

Medici qvondam Regii celeberrimi,

placido pioqve obitu Thorunii XIIX. Martii A. C. M DC XCI.

extincti,

Ipso funerationis die

exhibere voluit

Collegium Professorium Thoruniense.

NOn sunt in manibus nostris commercia vitæ,
 ejus nec filum multiplicare valent.
Omnia succumbunt violento mortis aratro,
 destruit & nostras trux Libitina casas.
Non secus ac placidam tigris Gangetica cervam
 diripit: aut proprium perfida mater Itym.
Res qvi divinas tractant, aut jura seqvuntur,
 sæpe immaturo funere dira rapit.
Qvi contra morbos prægrandia pharmaca miscent,
 adversus mortis spicula, nulla parant.
Qvæ Cöi docet arcta senis, qvæ fusa Galeni
 pagina, qvæ medicus pharmaca scripsit Arabs.
Hæc contra mortem nullo sunt fulta valore,
 interdum doctâ plus valet arte malum.
Adversus morbos mors est medicina probata,
 hæc frangit vires, monstraqve sæva, malas.
Id docet exemplo nunc nos heu! BLANCKIUS: olim
 clara Machaonii gloria lausqve chori.
Qvi dum vitales hic hactenus hauserat auras,
 ægrotos medico juverat auxilio.
Sed contra mortem medicamina nulla paravit,
 hinc senio fractum sustulit ipsa Virum.
Lux æterna beet Te, BLANCKI, nescia sortis
 sors infinitis impleat usque bonis.

THORUNII, Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.